VOTA, ET MOTIVA

CVRIÆ DOMINI IVSTITIÆ ARAGONVM, OBLATA IN PROCESSV DON Federici de Palafox, ſuper manifeſtatione bonorum, in artic. proprietatis.

IN Proceſſu & cauſa in Curia Domini Iuſtitiæ Aragonum habito & actitato, intitulato, Proceſſus Don Federici de Palafox, ſuper manifeſtatione bonorum, in articulo proprietatis: exiſtente dicto proceſſu & cauſa in deliberatione, ſuper diffinitiua ſententia, QVATVOR Domini Locumtenentes admodum Illuſtris Domini Don Martini Baptiſta de la Nuça, militis Maieſtatis Domini noſtri Regis Conſiliarij, ac Iuſtitiæ Aragonum, fuerunt voti & opinionis, quod deberet pronuntiari & condemnare Magnum Magiſtrum, Conuentum, & Religionem Sancti Ioannis Hieroſolymitan. & Fratrem Lupertium Xaureche & Arbiçu, vt Receptorem bonorũ communis Ærarij dictæ Religionis, prin. Martini de Lierta, & Ioannis Franciſci Barrachina Procuratorum, ad reſtituendum, & liberandum Don Federico de Palafox, principali Dominici Adrian Procuratoris bona in præſenti proceſſu facta de manifeſto, eaq; eidem reſtitui mandari, ſcilicet quantitatem ſeptemcentarum librarum Iaccenſiũ in partem ſolutionis ſui crediti. ALIA vero bona manifeſtata mandare vendi, ac ſubhaſtari illa debite, & iuxta forum, & ex pretio illorum ſolui & ſatisfieri eidem Don Federico de Palafox reſiduam quantitatem, vſq; ad complementũ quadraginta vnius mille & centum ſolidorum Iaccenſium ſibi de-

bitam vna cum expensis; si quid autem deinde ex dicto prætio vẽditionis bonorum superexit restitui illud dictis Magno Magistro, Conuentui, & Religioni Sancti Ioannis Hierosolymitan. & Fratri Lupertio Xaureche & Arbiçu, Receptori illius, prestita prius cautione forali debitè & iuxta forum, silẽtium perpetuum partibus aduersis imponendo, neutram partium in expensis (demptis prædictis taxandis) condemnando, cætera supplicata locum non habere, Atten. conten. TRES Domini Locumtenentes dicti Domini Iustitiæ Aragonum, ex dictis quatuor, fuerunt ex motiuis sequentibus. EX eo præsertim obtinere debet Don Federicus de Palafox in hoc iuditio proprietatis manifestationis bonorũ mobilium, quoniam apparet de instrumento pactorum dotalium, initorum causa matrimonij contracti inter ipsum, & Domnam Engratiam de Olleta, in quibus reperitur promissio, & donatio, fácta per Fratrem Petrum de Arbiçu, Ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitan. præsentem concessioni dictæ scripturæ dotalis eidem Domnæ Engratiæ de Olleta suæ nepti ex sorore, contemplatione illius matrimonij, summæ & quantitatis quadraginta mille solidorum Iaccensium, & interim dum illam non solueret annui redditus illorum, scilicet duorũ mille solidorum Iaccensium annuatim soluendorum, vbi reperiuntur etiam clausulæ ad obtinendum in hoc processu manifestationis bonorum, & articulo proprietatis necessariæ, vt sic de eius bono iure hæsitandum minimè fore censeamus. Constat siquidem de legitima possessione dicti Fratris Petri de Arbiçu, & dominio per multum tempus horum bonorum manifestatorum, vsq; ad tempus, & tempore eius mortis, & de coniugio inter dictos Don Federicum, & Domnam Engratiam subsequuto, quæ promissio, & donatio intelligenda est de præsenti, & inter viuos, non solum respectu annui redditus duorum mille solidorum, sed etiam, quoad proprietatem illius annui redditus, quantitatem nimirum quadraginta mille solidorum Iaccensium, quibus solutis cessare habebat præstatio illa annui redditus; nam quod fuerit promissio, & donatio de præsenti, & inter viuos, ita quod prædicta quantitas quadraginta

ginta mille solidorum Iaccen. exigi, & recuperari cum effectu potuerit ab eodem dicto Don Federico de Palafox, in vita dicti Comendatoris Petri Xaureche, & Arbiçu, & adhuc viuente eo, nec teneretur expectare ad effectum dictæ exactionis, & recuperationis obitum dicti Fratris Petri de Arbiçu, absq; dubio est, vt ex multis efficacibus argumentis, & cõsiderationibus deducitur planè, ostenditurq; manifeste; VEL ex eo, in primis, quod ordo transpositus, & verba transposita non mutant sensum, idem ergo in effectu fuit promittere, & donare annuam præstationem duorum mille solidorum Iaccensium, interim, & donec non fieret solutio quadraginta mille solidorum, quod promittere, & donare quantitatem quadraginta mille solidorum Iaccensium, & interim dum non præstaretur, & solueretur duos mille solidos singulis annis. Et confirmatur, nam illa præstatio annua duorum mille solidorum Iaccensium, medio tempore dum nõ solueretur quãtitas quadraginta mille solidorum Iaccensium, fuit adiecta, & apposita principaliter, propter fauorem & beneficium dictorum coniugum ne carerent redditu illius quantitatis, vsque quo illam cum effectu habuissent, & recuperassent: non igitur in eorundem odium & detrimentum cedere, & interpretari debet, ita vt censeatur illis sublata, & adempta actio & facultas exigẽdi prædictos quadraginta mille solidos in vita eiusdem Petri de Arbiçu promissoris, ne inducta in augmentum operentur contrarium, & ideo in electione Don Federici fuit exigere etiam quadraginta mille solidos Iaccenses. Accedat pro corroboratione non leuis cõsideratio desumpta, ex quibusdam verbis eiusdem instrumenti capitulorum matrimonialium, quæ necessario præsupponunt, demonstrant, & indicant factam fuisse donationem illam, & promissionem de præsenti inter viuos, quoad quadraginta mille solidos Iaccenses. Nam deinde in quodam alio capitulo sequenti dum fit pactũ in euentum dissolutionis matrimonij prædicti, & agitur de restitutione dotis, extant & leguntur sequentia verba: *Y en caso que se huuieren ya cobrado los dichos quarenta mil sueldos, que el dicho Fray Pedro Xaureche y Arbiçu le ha de dar y pagar, ayan assi mismo*

de

de sacar, cobrar, y alcançar aquellos, o la parte y porcion dellos, que en realidad de verdad constara el dicho Don Fadrique de Palafox auer cobrado. Quæ verba maximo opere declarant illud aliud capitulum promissionis antecedens: Nam illa, *le ha de dar y pagar,* euidenter præsupponunt per necessarium quoddam antecedens promissionem, & donationem de præsenti factam. Sunt enim verba præsuppositiua, at in materia dotis probant in viam iuris communis, quæ etiam in Regno nostro considerabilia maximè sunt: vnde cum ipsimet contrahentes, se declarauerint eorum expositioni standum erit, nec est quærenda alia glosa, quæ omnia vim etiam accipiunt ex dictis aliquorum testium qui referunt se audiuisse, eundem Fratrem Petrũ Xaureche & Arbiçu Cõmendatorem asseuerantem se promisisse dictam quantitatem, & desiderasse, ac anxie studuisse soluere prædictam quantitatem quadraginta mille solidorum Iaccensium. Ex quibus omnibus simul iunctis, res hæc plana redditur, ac proinde ex quo illa promissio, & donatio vera extitit, req; vera, & actualiter facta, nec ficta, aut simulata sit, & vt vera in executionem deducta, viuente eodem Petro Xaureche & Arbiçu, quia Don Federicus de Palafox singulis annis exegit, percepit, ac recuperauit annuum redditum duorũ mille solidorum Iaccensium. Subsequitur inde, vt in vim stabilimentorum, & constitutionum præfatæ sacræ Religionis Sancti Ioannis Hierosolymitani hoc debitum à dicto Fratre Petro Xaureche & Arbiçu contractum nunc post eius mortem solui debeat ex bonis eiusdem defuncti in hoc processu factis de manifesto, cum etiam per stabilimenta eius Religionis, ex recentioribus statutum & prouisum fuit debita Fratris defunctorum exsoluenda fore ex bonis relictis a Fratre defuncto: ac propterea tenetur defunctus declarare, quos debitores & creditores habet, & solutis prius quantitatibus debitis per Fratrem defunctum Ærario communi dictæ Religionis, solutisq; salarijs famulorum solutio, ex prædictis bonis fieri debet creditoribus Fratris defuncti, iuxta suam cuiusq; anterioritatem: Maximè, nam si alia antecedentia stabilimenta, & constitutiones eiusdem Religionis (vt decet) perpendantur

dantur quatenus diſponunt, quod bona poſſeſſa per Fratrem profeſſum poſt eius obitum iure ſpolij ad Magnum Magiſtrum, & Conuentum dictæ Religionis, & iure proprij dominij pertineant, & ſpectant, loquuntur & intelligi debent, quã do Frater profeſſus deceſſit nullis relictis debitis, vel relictis quidem, ſed fraudulentis; & in fraudem dictæ Religionis, & communis Ærarij conceptis, & factis. Quoniam talia debita reijciunt, & improbant, & vt nulla habent, & reputant dictæ Religionis Conſtitutiones, non autem debita vera, & verè contracta, & iuſta, cuius generis eſt hoc debitum, de quo in præſenti agitur, cuius exactio quoad pręſtationem annui redditus dicto Fratre Petro de Arbiçu viuente adhuc in humanis per varios annorum curſus effectiuê executioni fuit tradita, & in Realem executionem redacta; vt ſic dubitandum non ſit, ſtabilimenta dictæ Religionis non improbare huiuſmodi debitum, quod verum & verê cõtractum fuit, nec illud habere pro fraudulento, nec in fraudem facto, ſed pro vero; & ſic exigibili, & recuperabili ex bonis prædicti Fratris defuncti, vnde merito obtinere debet Don Federicus de Palafox: nam licet vas quoddam argenteum traditum fuerit eidem Don Federico de Palafox à Fratre Lupertio de Arbiçu, Receptore dictæ Religionis in partem ſolutionis dictæ quantitatis quadraginta mille ſolidorum Iaccenſium: verſamur tamen extra ambiguitatem, reſpectu, quod integra quãtitas quadraginta mille ſolidorum Iaccenſium recuperanda ſit à Don Federico. Attentis his, quæ ab eiſdem Receptore, & Religione articulantur, & deducuntur expreſsè in atticulo finali Replicæ, pro parte eiuſdem Fratris Lupertij Arbiçu Receptoris Magni Magiſtri Conuentus & Religionis in hoc proceſſu oblatę, non poſſunt verè obtinere Martinus Ludouicus de Olleta, & Don Ioſephus de Rebolledo & Palafox cum ſuis inſtrumentis Commandarum reſpectiuè quantitatis quatuor mille ſolidorum Iaccenſium, attentis allegatis, & articulatis ab eis in ſuis reſpectiuè petitionibus, quæ impediunt vt obtinere non poſſint, quippe allegant bona hæc facta de manifeſto eſſe propria, & de dominio Don Federici de Palafox, de

qua possessione, & dominio Don Federici non constat in processu; & sic merito obtinere non possunt ex prædictis, & alias attent. conten. ALIVS vero Dominus Locumtenens ex dictis quatuor fuit ex motiuis sequentibus. EX EO maximè quoniã constat bona manifestata, fuisse quondã Fratris Petri de Arbiçu militis Sãcti Ioãnis Hierosolymitani. Constat præterea de promissione ab ipso facta, quantitatis quadraginta mille solidorum Domnę Gratię de Olleta ex sorore nepti in pactis dotalibus, celebratis cum dicto Don Federico contemplatione matrimonij, quod postea inter eos fuit contractum: Quare in vim dicti tituli legitimi, in quo clausulæ necessariæ continentur, merito debet obtinere: quod autem constet de promissione & donatione facta de pręsenti dictorum quadraginta mille solidorum, in dictis tabulis nuptialibus colligitur, ex sequentibus. Primò ex annui redditus dictorum quadraginta mille solidorum promissione, ex qua (saltim fauore dotis) promissionem, & obligationē sortis principalis iura præsumunt. Secundò ex verbis per dictos Dominos Locumtenentes nouè ponderatis, quę non solum enuntiatiua, sed pręsumptiua apparent ad inducendam obligationem & promissionem efficacem quantitatis prædictę pro dote promissę, quã pręsupponunt. Et tandem ex varijs testibus in hoc processo productis id atestantibus, quorum dicta maximopere condũcunt ad elucidandum dubium, quod ex verbis dictorum pãctorum induci poterat: quę omnia simul iuncta rem hanc satis notam facere videntur. Quę donatio, & promissio sic probata, cum in eius substantia ad tempus mortis promittentis non referatur, quinimo, nec pręcissé hęc relatio in illius executione ad id tempus fiat, simplex potius, & de presenti quam causa mortis iudicanda est. Maximè cum aliter (ex voto partis aduersę) nullius foret roboris, & momenti, ex supradictis consequitur promissionem hanc non contineri in stabilimentis, quę prohibent Fratribus dictę Religionis testari, vel in vltima voluntate relinquere. Insuper etiam, nequè continentur in alio statuto, quo dictis Fratribus sub varijs pœnis prohibentur, ac interdicuntur contractus ficti & simulati, cum is non

non sit fictus, sed verus, & absq; aliqua fraude, & simulatione, & ob causam licitam, honestam, & laudabilem processerit. Et quamuis fateremur alia & vltima parte dicti statuti, fictos & simulatos iudicari quoscumq; contractus & promissiones, & si alias validæ fuissent, si tempore vitæ promittentis, vel donantis, creditor non curauerit, promissam quantitatem à debitore exigere, quasi ex tali taciturnitate, & silentio, fraudis, & simulationis efficax resultet præsumptio: hæc tamen, in nostro casu cessat, cum toto tempore vitæ à promissore redditum annuum sortis promissæ exegerit, ex qua successiua exactione, & præstatione, & omnis fraudis, & simulationis suspitio depellitur, & ipsum debitorem creditor, satis vissus est interpellasse, vt menti, & rationi prædicti statuti satisfecisse dicatur. Maximè, cum ex deductis in processu alia resultant quæ directo ordinabantur, vt effectiuè dicta quantitas quadraginta mille solidorum dicto Don Federico persolueretur. Neque refragabitur, quod ex verbis dictorum pactorum dotalium colligitur, quod sors principalis non poterat ab inuito debitore extorqueri, interim dum redditus ab ipso soluerentur; sicquè ab eius voluntate dum viueret hoc penderet. Nam nullum adest ibi verbum, quo talis exactio prohibeatur, quod necessarium videbatur, maximè cum illa annui redditus promissio, & præstatio magis principaliter fauore creditoris apposita censetur pro tutiori eius cautela, vt per hunc modũ, interim dum sors principalis non solueretur pro oneribus matrimonij sibi foret prospectum. Recipitur autẽ dicta propositio Magni Magistri, & ab aliorum petitionibus absoluitur ex motiuis desuper in hac parte per alios tres Dominos Locumtenentes præstitis supra proximê continuatis, & alias attent. conten. ALIVS vero dicti Domini Iustitiæ Aragonum Locumtenens fuit voti, & opinionis, quod tenetur, & debet pronuntiare, & absoluere Magnum Magistrum, & Conuentum Religionis Sancti Ioannis Hierosolymitani, & Fratrem Lupertium de Arbiçu, Receptorem cõmunis thesauri, principalẽ Martini de Lierta Procuratoris, â contentis in petitione contra eos oblata, & eidem siue eius Receptori, vt vero

ro domino mandare restitui, & liberari bona in præsenti processu manifestata, præstita cautione forali debitè & iuxta forum silentium perpetuum partibus imponendo, neutram partium in expensis condemnando, cętera supplicata locum non habere, attent. cont. EX EO, & alias mandantur restitui prædicta bona manifestata dicto Magno Magistro, siue eius Receptori communis thesauri, princ. M. de Lierta Procur. quoniam constat bona manifestata fuisse quondam Petri de Arbiçu militis, ac Fratris prædictæ Religionis, cuius spoliũ ad dictum Magnum Magistrum, & commune thesaurum pertinere dignoscitur, iuxta legitimas iuris, & eiusdem Religionis santiones, ob idq; nullum ius habuisse, aut habere potuisse in eisdem Don Federicum de Palafox, & Domnam Engratiam de Olleta, ex donatione cõtemplatione matrimonij, facta per dictum Fratrem Don Petrum de Arbiçu, ad fauoré eorũdem. Apparet quippè clarê, & coniuentibus oculis constat, solutionem quantitatis quadraginta mille solidorum dilatatam fuisse in tempus mortis eiusdem Fratris Don Petri de Arbiçu, & sic in tempus â quo donatio ipsa, tanquam inhabile incipere non poterat. Quoniam ad ea exigenda, nõ bona eius dum viueret, sed quæ post mortem eius adinuenirentur expressê, & explicitê hypotecauit, & sic in tempus prohibitũ, quando, videlicet, bona eius futura non erant, sed Religionis, & communis thesauri, quod sanê inspectis stabilimentis prædictæ Religionis, & dispositionibus iuris communis valere non potuit, nec prædictis agentibus ius efficax impartiri in præiuditium spolij, & Magni Magistri. Nequê obstat, quod pro parte agentium prætenditur in ea donatione duorum mille solidorum annuatim soluendorum, donec quadraginta mille soluti non fuerint, verè & realiter contineri donationē quadraginta mille solidorum, eaquè promissa censeri, colligiq; ex pactis ipsis dotalibus, ibi: *En el entretanto que no le diere y pagare quarenta mil sueldos de contado, y en caso que no le huuiere pagado aquellos durante todo el tiempo de su vida.* Et paulò post, ibi: *Que fenecida la viudedad foral del dicho Don Fadrique, aya de cessar, y cesse la obligacion de pagar los dichos dos mil sueldos de annua renta:*

Y en

Y en caso que se ayan ya pagado los dichos quarenta mil sueldos, aquellos ayan de boluer, y bueluan al dicho donante, si viuo serà, y sino à la dicha Isabel Geronyma de Arbiçu su hermana. Quibus verbis, supponunt verè & realiter fuisse promissam dictam quantitatem quadraginta mille solidorum, obligationemq; ad eam petendam statim competisse. Maximè, cum is qui vsuras promittit, sortem quoq; principalem, necessariò promisisse intelligatur; verum profecto facile respōdetur, in pactis dotalibus non legi Fratrem Don Petrum de Arbiçu donasse quadraginta mille solidos Iaccenses, sed duos mille solidos dum quadraginta mille non soluerentur: quod autem, ex verbis præfatis præsuppositiuè, id colligi videatur in consideratione nō est. Primo, quia ex tacita voluntate proficiscitur, & ex tacita dispositione legis præsuppositiuè operantis, quod in Regno locum non habet, maximè in contractibus in quibus imputent sibi contrahentes, qui legem apertius non dixerunt, & in quibus semper contra producentem scripturam contractus interpretantur. Secundo, quia ea verba sunt solum enuntiatiua, & demonstratiua, quæ non stant de perse in modum causæ finalis, sed propter aliud, & futurum euentum enuntiando, sub conditione alterius dispositionis, quę sanè non disponunt. Tertio, quia sto, quod dispositionem aliquam supponerent, & promissionem eam tamen in tempus mortis, & sic in tempus inhabile, fuisse collocatam demonstrant, cum hypotecæ promissioni suppositæ post mortem donantis collocentur, & effectum incipere habere proponatur ad prædictos quadraginta mille solidos recuperandos: Id enim scriptura donationis, & pactorum dotalium ostendit solum huic casui hypotecam subijciens. Nequè obstat si dicatur, quod licet dictus donans non teneretur ex prædicta speciali hypoteca; tenetur tamen ex generali pactorum dotalium, hypoteca & obligatione Notario pro ijsdem ita stipulante. Nam Notarius solum stipulatur, & solitas clausulas apponit ad obseruantiam omnium quę in scriptura continentur: Non quod per eas Notarius facere possit, quod quis teneatur ad id, quod non promissit. Vnde cum dictus Petrus de Arbiçu, solum bona sua

hypotecauerit ad exactionem dictorum quadraginta mille solidorum, & non ante, nec eo viuente; necessario fatendum videtur, bona præfata, nec ratione specialis, nec ratione generalis hypotecæ, ante mortem affecta, & obligata existere: ac per consequens præfatam donationem quadraginta mille solidorum, in tempus inhabile quo bona testatoris futura non sunt esse collatam, quoniam ante mortem non est qui exigat ab eo inuito, cum facultatem eos quadraginta mille solidos præstādi suæ voluntati dum viueret reseruabit, quot annis duobus mille solidis Iaccens. soluendo quos expresse promisisse apparet, vt indicant illa verba: *En el entretanto que no le diere y pagare quarenta mil sueldos de contado.* Quæ verba non necessitatē, sed voluntatem inducere manifestum est, alias ea facultas, facultas non esset si statim ab eo inuito exigi potuissent. Neque tandem obstat in hoc proprietatis processu agentes probasse quibusdam testibus dicentibus se audiuisse à donāte ipsum eos quadraginta mille solidos promisisse, ac sic dubia verba pactorum interpretari potuisse, vt hodie sententiam fauorabilem valeant reportare. Nam respondetur primo, eos testes admittere contra instrumentum in Regno prohibitum esse, præsertim præmissa protestatione, quod non admittantur ad probandum per testes ea quæ de foro, &c. Quam præcessisse in præsenti processu proponitur. Secundo, quod sto, quod testes admitti valerent, & quod de promissione quadraginta mille solidorum concluderent, non tamen concludunt de tempore, quod videlicet exigi ab eo inuito, & viuente potuissent ac sic semper versamur in terminis dilatatæ solutionis post mortem dicti Petri de Arbiçu, & sic in tempus inhabile. Ex quibus, & alijs merito predictos conuentos absoluendos esse, & eisdem bona manifestata restituenda esse arbitramur, & alias attentis contentis.

Sig † num mei Anthonij de Soria in Ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati, auctoritateq; Regia per totum Reguum Aragonum publici Notarij, ac Regentis principalis vnam ex Scribanijs Curiæ Domini Iustitiæ Aragouum, & eius Consilij Secretarij, qui huiusmodi vota & motiua à originali libro dicti Consilij de anno millesimo sexcentesima

teſimo vigeſimo, in quo continuata exiſtunt, manu aliena extraxi, & cum ſuis originalibus benè & fideliter comprobaui, in quorum fidem & teſtimonium premiſſorum meo ſolito, quo artis Notariæ vter ſigno ſignaui. Approbo enmendatum vbi legitur, ceſare, poſſe. Et aſſimili ego Antonius de Soria Notarius & Secretarius ſupradictus approbo enmendatum vbi legitur, præſta, ba, trans, ſit, viueni, attentis, ad ex hac, & aſſimili approbo ſuprapoſitum vbi legitur, at in materia dotis, & deſideraſſe ac anxiè ſtuduiſſe ſoluere prædictam quantitatem; nam licet vas quoddam argenteum tradditum fuerit eidem Don Federico de Palafox, & alias attentis contentis, clarè, ſoluendo, & alias attentis contentis, clarè, ſoluendo, & iterum clauſſi.